





DE  
CHEMICORVM INSTRVMENTIS MECHA-  
NICIS ERRORVM ET DISSENSVS FONTIBVS

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S T I D E  
IOHANNE GOTTFRIED  
LEONHARDI

AA. M. PHILOS. ET MED. D. PATH. ET CHIR. P. P.  
O. FAC. MED. ASSESS. ET H. T. DECANO, SOC.  
OECON. LIPSIENS. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS

AD XIII. OCTOBR. A. O. R. C<sup>10</sup>CCLXXXIII.

DISPVATAT

IOHANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS  
ISRAEL

LVC CAVIA LVSATVS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII,

CHIMICORVM INSTRUMENTA NICHO-

MES TITULORVM ET TITULI INSTRUMENTI

INSTRUMENTA CHIMICORVM

INCLVTAE REIPUBLICAE  
LVCCAVIENSIS

C O N S V L I B V S  
P R A E T O R I  
S Y N D I C O  
SENATORIBVS RELIQVIES  
VIRIS DE PATRIA MERITISSIMIS

PATRONIS PIETATE SVMMA  
DEVENERANDIS

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

GRATISSIMI ANIMI

TESTIMONIVM

D. D. D.

ANRIE IN TATARIA MERITISSIMIS

TAURONIS PETRAE SUMMA

JOHANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS ISRAEL.



DE  
CHEMICORVM INSTRUMENTIS MECHANICIS  
ERRORVM ET DISSENSVS FONTIBVS.

§. I.

*Instituti Ratio.*

**L**atent naturae vires, neque adeo faciliter eruntur scrutinio. Occultat enim semet natura non iis modo, qui pecorum in modum frugesque consumere natim, ut in eam inquirant, nullis ipsis illecebris inuitari capique se patiuntur, sed ipsis adeo semet abscondit, qui eam studiose attendunt diligenterque scrutantur. Quot quae-  
so in physicis obseruationes congregavit, quot experimenta adeo instituit naturae cultorum turba haud exigua, decepta tamen saepius proque Iunone, ut aiunt, amplexa nubem. Scilicet veluti puella casta sive fibi decoris siveque dignitatis con-  
scia procos omnes contemnit, qui non ipsam vnicel colunt at-  
que obseruant, sed fibi suisque inanibus blanditiis nimium

A

confisi



confisi tempusue grata modo ratione trituri eius gratiam au-  
cupantur, ita incautos quoque obseruatorēs tentaminumque  
physicorum fabros natura ludit fallitque adeo, vt quum ipsam  
prehendere quasi et coram intueri sibi videntur, simulacrum  
imane modo teneant et contemplentur. Enimvero multas ob-  
causas fieri solet, vt id accidat naturae cultoribus omnium-  
que maxime ex nimis praecepsita iudicandi libidine. Hae-  
ret in paucis phaenomenis mutilisque defixus obseruatorum  
quorundam animus, quaeque male viderat vel ad systematis  
vieti struem inique cohaerentem vtcunque sustinendam fir-  
mandamque retorquet, vel aedificio doctrinae nouo cuidam,  
ventosis atque caducis instituro fundamentis coaptat. Sunt  
adeo, qui quae nollent vidisse, ea, quoniam receptae repu-  
gnant opinioni susque deque habeant, pessima omnium ob-  
seruatorum familia, dissimulatores. Ipsa illa instrumenta fal-  
lunt cupidioris iudicij homines, quibus adiuti naturae la-  
bores vel spontaneos speculamur vel extortos indagamus.  
Fallunt coloribus peregrinis lentes opticae, bullis vndulatis  
vitra achromatica, dimensione iniqua graduum thermometra,  
aberrante margine normae, magistrando, quod dicunt gra-  
cissimandoque acus magneticae, repulsione corporis non electri-  
ci vaga electrometra, vacuo imperfecto anthiae pneumaticae,  
lentore barometra, mutatis vasorum angulis embolus ex siphone  
materiam ceraceam impetu violentiori protrudens. Fallunt,  
inquam, sed incautos tantum et vel in sensum testimonio  
primo acquiescentes, vel instrumentorum fidei nimium confi-  
sos. Scilicet repetitis opus est, vt verum eruamus, variatis-  
que experimentis, non in integrorum modo corporum natu-  
ralium dotibus descendis, de quibus pars doctrinae naturalis  
statica praecepsit, sed vel maxime etiam in partium corporis  
cuiusvis scrutinio eo instituendo, cuius administrationem le-  
giti-

3

gitinum pars physices altera, chemia, docet. In quo quidem scrutinio exercendo, quum erratum sit a variis multipliciter, vt alieno periculo versari discant cautius chemiae tirones, in hac scribendi opportunitate ita ipsos monebimus, vt instrumenta chemicorum, nunc quidem tantummodo mechanicae, cetera praecipuos errorum dissensuumque fontes proponamus et ad huius rei veritatem comprobandum exemplis variis, cetera totidem argumentis utamur, atque adeo reipsa ostendamus, latentis naturae umbram modo ut plurimum indagine prima reperiri, verum in umbra illa non obdormiscendum, sed naturam potius repetito examine maioriique cum accuratione investigandam et ex suis veluti latebris protrahendam esse, quandoquidem illud ipsum, quod curas fecellit primas, secundis proximis certissime, neque sine inuentorum nouorum foenore recluditur.

§. II.

*Instrumentorum chemicorum notio et divisio.*

Antequam vero ipsam illius rei, quam exponendam suscepimus, tractationem aggredimur, necessarium omnino esse ducimus, vt quid sub instrumentorum chemicorum nomine intelligatur, quotuplicisque ista generis sint, breuissimis expandonamus. Scilicet sub instrumento in genere spectato materiam quamvis comprehendimus, qua quod in agendo sequimur, commode facileque obtainemus. Iam quum quod chemici in suis laboribus sequuntur, consilium ultimusque, ad quem omnes actiones contendunt, finis in eo consistat, ut corporum naturalium, quatenus ex particulis agendi facultate diuerissima pollentibus, confiata sunt, naturam, effectus et usum indagent atque patefaciant, haec omnia vero hactenus

4

❧ ♫ ❧

demum tum indagari tum patescere possint, quatenus corporibus naturalibus eiusmodi mutationes inferuntur, quibus in istas particulas, ex quarum concurso coaluerunt, ita dirimantur, vt istas vel seorsim lustrare et inuestigare, vel quid cum aliorum notae efficacie corporum particulis copulatae gignant, animaduertere liceat: satis quidem apparet, omnia illa mereri chemicorum instrumentorum nomen, quorum ope naturalibus corporibus tales mutationes induci possunt, ex quibus principiorum, ipsa constituentium natura et indeoles errui, effectus, quibus edendis paria sunt, cognosci et usus, quem praestare valent, inueniri atque obtineri valeant. Mutationes vero istas, in nexus pristini disiunctione nouique procreatione positas inferunt instrumenta ista, quatenus vel integra sua et cohaerente massa, vel materie et particulis suis, diffluentibus illis quidem, inque corporis disquirendi molecularum, aut omnium, aut quarundam amplexus ruentibus agunt. Ex quo quidem diuerso agendi modo, quorum priorem mechanicum, posteriorem physicum dixeris, duplex etiam instrumentorum chemicorum genus, mechanicorum nimurum alterum, alterum physicorum recte constituitur, Physica nimurum chemicorum instrumenta ea appellamus, quae pro ea, qua particulae ipsorum pollent, insita virtute sese cum aliorum corporum moleculis, quibuscum lubentius, quam inter se ipsae vniuntur, coniungendi, cum corporis, in quod operantur, quodque diuidunt, materia, vel omni vel quadam nexum plus minus diuturnum subeunt et actione sua absoluta nunquam integra recuperari possant. Sic Spiritus nitri in hydrargyrum, vt instrumentum physicum operando, pro ea, qua pollet, facultate trahendi particulas principio inflammabili diuines, metallum istud liquidum aggreditur, abreptaque principii inflammabilis portiunctula quadam, quacum in mephitin  
nitri

nitri phlogisticam \*) fugacem illam subque bullularum aereum  
 rum forma surgentem concrescit, cum reliquis hydrargyri par-  
 ticulis terreis, phlogisti tamen partem definitam, quamvis pro  
 vario caloris cooperantis gradu variam, etiamnum retinenti-  
 bus, in substantiam quandam coalescit, quae neque nitri acor  
 amplius neque hydrargyrus est et a qua iam remoueri illud  
 acidum nitri, nisi operoso destillationis labore, immo ne sic  
 quidem integrum recuperari potest. Pro vario autem, quem  
 edunt, effectu, quo vel corporibus solidis consistentiam flu-  
 idam, vel fluidis solidam, vel ignis ferendi facultatem volati-  
 libus, vel volatilitatem fixis, vel firmiter cohaerentibus fria-  
 bilitatem vel disiunctis cohesionem vel intrinsecus pacatis et  
 definita natura praeditis cum motu interno mutatorio indolem  
 nouam, aut in eiusmodi motu constitutis, iniecta quasi com-  
 pede, quietem conciliant, variis omnino nominibus insigni-  
 untur atque nunc *menstrua*, *solutentia* et *fluxus*, nunc *coagu-  
 lantia* et *praecipitantia*, nunc *volatilisantia*, nunc *figentia*,  
 nunc *corrodentia*, nunc *conglutinantia* et *ferrumina*, nunc  
*fermenta*, nunc *fermentationem fistentia* et *antiseptica* appell-  
 antur. Mechanica chemicorum instrumenta e contrario non  
 particulis suis atque solutis materiae vinculis, sed retento  
 potius volumine et massa indiuulsa operantur, atque adeo ef-  
 fectus, quos configuratione seu structura, mole porro, pon-  
 dere, pressu et percussione producunt, ita quidem edunt ede-  
 reque debent, vt ab iis corporibus, in quae egerunt, absoluta  
 actione integra et sine partium suarum immisso contagio re-  
 moueri queant. Sic v. c. cultri in discindendo corpore oc-  
 cupati, ceu cunei, figura et pressu operantur, sed tunc tamen  
 tantum bene, quando diuiso corpori substantiae suae nihil  
 quicquam affricuerunt. Caeterum et horum varia genera repe-  
 riuntur

A 3

\*) vid. PRAESIDIS Aerologie physico-chem. prim. lin. Lipſ. 1781. p. II.

riuntur, quae omnia recensere instituti nostri ratio non patitur. Sufficiat paucis monuisse, alia ipsorum continendis corporibus explorandis instrumentisque physicis destinata *vasa* appellari, reliqua vero, quibus corpora chemicis curis impendenda in antecessum varie praeparantur et comminuantur vel sub ipsa operatione apprehenduntur et reguntur, vel quoad splendoris ponderis fluiditatisque gradum examinantur, ad supellectilem chemicam referri.

## §. III.

*Chemicorum Vasa metallica, errorum et dissensus fontes.*

Iam ab utroque hoc instrumentorum genere falli posse chemicum, exempla probant, ex quibus ea nunc tantum afferramus, quae id euincunt de mechanicis, quorum praecipua vasa sunt. In his feligendis, praeter configurationem aptam et firmitatem, id vnicce spectatur, ut ex eiusmodi materia conflata sint, quam corpora in ipsis continenda et elaboranda haudquaquam corrodant. Itaque pro variis usibus obtinendis corporibusque varia ratione praeparandis vasorum, nunc metallicorum, nunc terreorum, nunc vitreorum apparatus adhibetur. Sicuti vero sese commendant pelluciditate et munditia vitrea; terreaque bono pretio, ita metallica in primis placent duratrix firmitate. Undecunque tamen conflata fallunt, materieque sua errorum et dissensus largiuntur materiem. Diu iam ex eo capite, quod, quae in ipsis elaborantur, inquietant, suspecta sunt metallica, vel ex plumbō, vel stanno, vel ferro, vel cupro argentoue, cui illigata pars cupri est, parata. Hinc in corporum accuratius disquirendo, aquarium v. c. mineralium examine iisdem locis relinquitur nullus. Ob eandem vero rationem rariora exempla

pro-

prostant opinionum falsarum, quas metallica vasa pepererint.  
 Aliquot tamen utique extant, quae recenseri merentur. Oleis  
 plerisque vnguinosis, tum recens pressis, tum per acetatem  
 iam rancescentibus, extractiæ feminum, ex quibus obtenta  
 sunt, partis mucilaginoſo acidæ ſemper quicquam admixtum  
 eſt. Inde ſapor naſcitur odoreque quorumlibet ſpecificus at-  
 que quorundam etiam, praeter rancedinem, apprime ingra-  
 tus. Ponunt vero ſaporem odoremque hunc, ſicubi in vasis  
 plumbeis feruantur, immo rancida iam facta ſaporem adeo  
 blandum adeoque ſubdulcem recipiunt, vt olea feminis lini,  
 raparum, aliaque hac ratione in oleum amygdalino oliua-  
 ceoue puriori ſimillimum converti poſſe cum DE GNERO \*)  
 crederent nonnulli aliisque perſuaderent. Cui quidem opi-  
 nioni erroris, non modo pudendi, verum etiam pernicioſiſſi-  
 mi labes inefſt. Etenim vasa plumbea hactenus demum oleo-  
 rum iſtorum emendationem ſimulant, quatènus principium  
 eorum, ſive recentium ſive rancidorum, acidum, a quo ero-  
 duntur, obtundunt et in ſalem, saturni ſaccharo geminum, con-  
 vertunt, cuius, ceu taciti veneni coecas infidias diriſſimos  
 humano corpori inſerre morbos tralatitium omnino atque  
 pervulgatum eſt.

Aliud exemplum praeberet ſal lixiuiosus, principio car-  
 bonis, ex ſanguine animalium uſlo remanentis, tingente uinitus  
 ſive vulgo ita dictum alcali phlogisticatum, quod commo-  
 diſſime obtineri conſtat ex pigmento berolinensium coeruleo  
 cum ſaliſ tartari parte quarta et aquae purae copia ſufficiente  
 in vasis terreis vitreisque cocto, quodque principium ſuum  
 tingens, ſive ſimpliciter phlogisticum illud, ſive acore inſu-  
 per peculiari cum phlogiſto concreto natum, lubentiffime com-  
 municat metallis acido ſolutis et v. c. ſolutions ferri colore

caeruleo

vid. Annal. Vroclavienſ. A. 1725. p. 208.



caeruleo, cupri rubro, magnesii albo praecipitat facillime. Solet eapropter vt ad omnium salium metallicorum, ita maxime ad aquarum mineralium ferriferarum scrutinium multo cum commodo adhiberi. At enimvero est quoddam salis alcalini phlogisticati genus, quod, sicuti MACQVERO \*) narrante primus expertus est Ill. DUX DE CHAVLNES, vitrioli martis solutionem, quacum commisceatur, nisi antea acidum quoddam cum ipsa contemporaueris, plane non praecipitat. Atque torporem hunc contraxit solummodo ex eo, quod in vasis metallicis paratum et incoctum fuit. Solent enim metalla, integra etiam et solida, vt vt somite inflammabili ad saturitatem usque unita esse videntur, sicubi salia, phlogisto scatentia, quacunque forma ipsis admouentur, eius principii partem haud exiguum etiamnum attrahere et sibi vindicare. Inde denigrantur obfuscanturque a sulphuris vulgaris vapore, ceu vitrioli acore phlogisto unito, argentum; a mephitide hepatica \*\*) stannum, bismuthum, zincum, semimetalium antimonii, cuprum atque ferrum; ab aqua, mephitide hac impregnata, argentum et hydrargyrus. Inde etiam est, quod Cl. BAVME' \*\*\*) lixitua cinerum ligni rufa atque adeo phlogisto scatentia diuturna in vasis argenteis coctione ita potuerit depurare, vt cum lebetis denigratione colore omni prorsus exuerentur. Itaque etiam in experimento antea latodato principii salis alcalini phlogistophori tingentis tantam copiam attraxit et a salis lixiuiosif connubio abalienauit vas, in quo labor instituebatur, metallicum, vt nisi salis lixiuiosif inflam-

\*) vid. *Dictionn. de Chym.* Tom. I. Par. 1778. p. 274. aut version. German. Th. I. S. 295. f.

\*\*) vid. PRÆSIDIS Aerolog. phys. chém. p. 15.

\*\*\*) vid. BAVME' erläuterte Experimentalchym. Th. II. S. 19. MACQVER chém. Wörterb. Th. I. S. 154.

flammabili principio denudati copia nimia acido quodam liquore adiecio antea saturaretur, exigua, quae supererat tinctoris materiae portio, a lixiuio praeterea fortiter retenta accrescere terrae ferri atque adeo ex vitrioli martis solutione pigmentum caeruleum exturbare nullo pacto valeret. Quod si quis vero eiusmodi lixiuum, in vasis metallicis paratum, ad acidularum ferriferarum examen adserret, e quibus aliis lixiuio eodem, sed in vasis terreis vitreis confecto satisque depurato calcem ferri vere coeruleam deiecit, nonne alio prorsus experimentorum euentu, ex causis allatis pendente, deceptus negaturus fore temere ferri in aquis istis praesentiam et accusaturus forte adeo incuriae cautius obseruantem?

In boracis principia inquirens Cl. CADET \*) reperiisse sibi visus est inter alia etiam cuprum in ista delitescere. Neque eam boracem, quam chemicus iste eximius est perscrutatus, continuisse cuprum, dubitandum est. Omnem vero boracem, maximeque eius partem acidam, sub salis sedatiui HOMBERGII nomine notam, cuprum necessario, seu partem constitutiua, quam vocant, complecti ex suis obferuationibus experimentisque collecturus CADETVS, praecclare et apposite monente Clarissimo BAVME \*\*), non satis cauisse sibi vindetur ab ista fallacia, quam suggerere potuerunt vas aenea, male forte obstannata, in quibus vel lixiuum salis alkalini mineralis, ad istam ipsius boracem parandam adhibiti consecutum vel borax ista ipsa cocta atque in crystallinam formam coacta forte est.

#### §. IV.

\*) vid. Mem. de mathem. et de physiqu. presentees &c. T. V. p. 105. ff.

\*\*) apud MACQUEK chem. Woerterb. Th. I. S. 365.

*Chemicorum vasa terrea, errorum et diffensus fontes.*

Quemadmodum vero ex iis, quae hucusque disputauimus, satis superque intelligi posse arbitramur, ne metallico contagio inquinata vel emendatis et correctis accenseamus, vel idonea disquisitionum chemicarum adminicula putemus, vel denique talia iudicemus, quibus per mixtionem natuam inesse metallica molecula debeat, summa opus esse attentione: ita pari omnino cautione, ne vasorum terreorum meliori fama nimium freti, in eorum usu ab errandi discrimine tutissimos nos esse speremus, vigilandum est: quandoquidem, ut ex mox narrandis eluceat, ne ab his quidem absint errorum conspicua satis, quae nos terrere possint, vestigia.

Salem lixiuiosum fixum vegetabilem in sua principia diuelli arte posse, haud pauci crediderunt. Insunt ex eorum opinione sali huic, praeter inflammabilem somitem acidumque tenerimum, particulae terreae, principiis antea commemoratis intimius iunctae. Ut hoc euincerent, prouocarunt ad experimenta. Ac primum quidem vrgent iacturam, quam patiatur salis laudati in vase aperto ebulliens solutio \*), item ponderis decrementum, quod modico igne liquato accidat, paucasque reliquias, quas exhibeat intensiori aeflu fusum. \*\*) Quae quidem omnia tribuant salis lixiuosi, maximeque principiorum fugaciorum, inflammabilis et acidi, euaporationi. Deinde portionis salis istius eiusdem calcinatione et solutione repetita fieri aiunt, ut totum tandem destruatur, vtque, quallem

\*) vid. MACQVERI chem. Wörterb. Th. I. S. 120.

\*\*) vid. IDEM l. c. S. 140.

¶

lem post calcinationem quamlibet solutus sal deponat, terra mera in aqua insolubilis et characteris salini prorsus expers relinquitur, \*) quae corpus quasi et hospitium principiis fugacioribus praebuerit. Atque de horum experimentorum euentu lis prorsus est nulla, de explicacione vero merito ambigitur. Ut enim de ea, quae salis lixiuioſi solutioni aquosae inter ebulliendum accedit iactura, quippe quam in quoquis vase aperto bullularum emersio atque difſloſio tumultuaria ſemper allatura eſt, iam nihil moneamus, ſalis tamen huius fuſi et calcinati decrementum terraque post calcinaciones solutionesque frequenter repetitas ſola tandem ſuperfites a ſolis vafis terreis rectiſſime repetuntur. Crucibula nimirum terrea, Hassiaca et alia quaueis ex argilla et arena confecta, quae, quoniam Ypsenſia molybdaenifera ſalibus ferendis prorsus imparia ſunt, ad iſtiuſmodi tentamina ſola adhibentur, non modo ita poroſa ſunt, vt ſalis tenuiter fluentis portio- nem imbibant et abſorbeant, ſed etiam adeo prodi- ga, vt la- xato iam particularum terrearum cohaeſionis vinculo, ſenſim ſenſimque plures terreas moleculas ſali lixiuioſo, a quo argil- lam pariter atque arenam ſolui conflat, immiſſeant. Quae quidem ita vera eſſe oſtendunt crucibulorum in iſtos viſus ad- hibitorum tum inſignis ad humiditatē ex aere attrahendam procliuitas, tum pondus poſt operationem multo, quam ante illam, maius; terrae denique iſpius, quae e ſale viſto ſoluto- que ſubſidet, natura argillacea, quaueque ſicuti vnicē e cruci- bulis eſt, ſic haud ita pridem aliū, non minoris momenti, er- rorem atque diſſenſum inter chemicos diſseminauit.

B 2

§. V.

\*) vid. CASP. NEVMANN Chym. med. B. I. Züllichau 1756. 4to. p. 247.  
IO. FRID. CARTHEVSE Fundam. Mar. Med. To. I. Frſc. ad Viadr. 1767. 8. p. 276. f.



## §. V.

*Argumenti eiusdem continuatio.*

Scilicet JOHANNI HENRICO POTTIO<sup>\*)</sup> ANTONIO,  
BEAVME<sup>\*\*) aliisque celeberrimae famae multorumque me-  
ritorum chemicis accedit, vt de ista terra, quam ex liquore fili-  
cum deiciunt diectamque denuo soluunt acida, magnificentius  
paullo longeque feceris, quam alii statuerent. Ill. enim POTTIO  
vifa est eadem silicina sive vitreabilis, qualis ad massam pro  
liquore silicum, vt vocant, conficiendam adhibetur, conuer-  
fa iam in alcalinam. Cl. BEAVME autem terram hanc fili-  
cinam in operatione ipsa ita mutatam esse opinatur, vt natu-  
ram argillaceae receperit, vtque ex ipsis in aere vitrioli so-  
lutione ad formam crystallinam evaporata alumnen nascatur  
verum, quod aluminis terram silicinae vitreabilisue prosa-  
piae et indolis esse, euidenter doceat. Et videntur omnino  
prima fronte egregii hi viri, quod experimentis repetitis non  
respondeat, nihil prorsus recepisse. Quod si enim massae, in  
crucibulo terreo ad dimidias tantum replendo, ex una are-  
nae pyromachie nigricantis et tribus quatuorue salis lixiuosi  
partibus, egregie inter semet inuicem colliquatis, paratae vitri-  
formis quidem, sed spontaneo tamen deliquio in aere breui  
diffluxurae solutioni, quae cum liquore silicum eadem est,  
aqueae et ab arenae non solutae inquinamentis studioſa per-  
colatione repurgatae, liquorem acidum, in primis vitriolicum  
dilutum affundimus, vtque excutitur terra quaedam, quae salis  
alcalini virtute antea soluta iam propter acidi interuenien-  
tis maiorem cum isto sale affinitatem repudiata cadit. Ea  
terra</sup>

<sup>\*)</sup> vid. Erys Lithogeognos. Th. I. S. 50.

<sup>\*\*)</sup> vid. Erys erläut. Experimental chem. Th. I. S. 453. ff.

terra adeo tenera est adeoque subtiliter diuisa, vt muci gelatinæ in modum in suppellucida conglomeretur coagula, quæ latice percolato in charta bibula remanent, multaque aqua feruida lota et ab adhaerentibus salibus liberata deficanda sunt. Quodsi porro terrae huic, ad pulticulae humidescentis consistentiam desiccando redactæ in cucurbita vitrea, arenae calenti immersa, acoris vitriolici diluti adiicitur ea sensim portio, vt non modo solutio contingat, sed etiam latex ad sensum fortiter acescat, ex liquore ita nato et post percolationem in aere libero euaporato manifestæ veri aluminis crystalli concrescunt. Quumque ex argillæ puræ et vñtæ vñcia, cum olei vitrioli seſcuncia in vasis clausis ad siccitatem friabilem cocta, extrahi aquæ ope liquor possit, similem in modum alumen largiens, quis, quaefo, omnibus his singulis que deinceps perpenſis non arbitraretur, arenam fufione cum salibus lixiuiosis facultatem cum acidis cogundi naturamque argillæ impetrare, aluminisque terram silicinæ sobolem esse? quis aliter statuentes quoſuis non crederet in maximo versari errore? Nihilo tamen minus viros, quos laudaui, tantos caſtillos terreos lufiſſe noſtris quidem temporibus extra omnem dubitationis aleam poſitum est experimentis, quae instituit CAR. GVL. SCHEELIVS<sup>\*)</sup> chemicus sagacissimus. Etenim quum ad maſſam pro liquore ſilicium conficiendam loco terreorum crucibulorum, in quibus periculi capti euentus narrato ſimilius conſequebatur, vas metallicum ferreum adhuiſſet, excuſſit quidem ex maſſae iſliuſ ſolutione aquosa acidis adiectis gelatinæ ſpeciem ſumentem terram, ſed mere ſilicinam, quae neque acidis ſoluſ ſeſe pateretur, neque argilla-

B 3

ccæ

<sup>\*)</sup> vid. Acta Acad. Reg. Scient. Suec. ad ann. 1776. Vol. XXXVII. p. 30. ff.  
vnde translata fuſt commentatio iſta in Celeb. LAURENTIUS CREELLI  
neueste Enzyklop. in der Chem. Th. III. p. 174. ff.

❧ ♫ ❧

ceae similis esset eiusdemie quiequam contineret, neque cum acore vitrilico vllum praeberet aluminis vestigium. Ut itaque omnino certum sit, terram illam in acidis solubilem et cum vitriolico in alumen vulgare abeuntem non ex mutata silicinae in aliam formam natam, sed salis potius lixiuosi vi soluente, quaē etiam in terram argillaceam potentissima est, ex vasis terreis seiuinctam massaeque pro liquore silicum interfundendum immistam fuisse. Quae quidem tenuisse in aliorum quoque corporum examine chemico, intra vasā terrea multo cum alcalino sale suscepto proficuum esse, expertus est idem SCHEELIUS<sup>\*)</sup> in CRONSTEDTII *molybdaenae granulosae* detonatione cum nitri decuplo intra vas terreum pariter atque ferreum instituta; quandoquidem intra metallicum vas detonatae residuum cum acore vitriolico aluminis generaret nihil, intra terreum vero calcinatae reliquiae veri aluminis crystallos praeberent egregias.

### §. VI.

#### *Chemicorum vasā vitrea, errorum et diffensus fontes.*

Iam metallicis terreisque vasis vitrea longe esse tutiora, diu fuit creditum; sed ne haec quidem fallaciea experitia esse idoneis ad persuadendum testimonis prorsus iam confirmatum habetur. Enimvero aquam purissimam in terram converti, variis variis argumentis moti statuerunt. Persuaserunt hoc IOHANNI BAPTISTAE HELMONTIO salix in definiti neque decrefcentis ponderis humo ad librarum centum sexaginta quatuor molem ex solius aquae vel pluviae vel destillatae a fusione excrescens<sup>\*\*)</sup>; ROBERTO BOYLE pepones atque cucu-

meres

<sup>\*)</sup> vid. Acta Acad. Reg. Sc. Suec. ad ann. 1779. Vol. XXXX.

<sup>\*\*) vid. EIUSDEM *Complex. atque misson. elemental. figm.* §. 30. in Oper. om̄n. ed. Franc̄. 1707. 4to. p. 104. L</sup>

meres simili ratione adolescentes \*), menthaque crispa extra terram, sola aqua alta \*\*); IOHANNI THEODORO ELLE-  
RO hyacinthi, pari modo vegetantes \*\*\*). IOH. GOTTS-  
CHALCK WALLERIO †) fere aliorum auctoritates: utrum  
hactenus recte, nunc certe nostrum huiusque loci non est  
quaerere. Alii, vt eandem sententiam amplectentur, ad-  
ducti sunt incremento terreo, quod aqua purissima repetitis  
destillationibus subiecta in singulis reliquit. Sic OLAVS BOR-  
RICHIVS ‡‡) commemorat aquam, etiam limpidissimam, si-  
que placeat vel decies per destillationem ab omni faece libe-  
ratam in veram, firmam, fixam et insipidam terram mutatum  
iri, si eadem iterum iterumque frequentissime ex recentibus  
semper vasis vitreis lente destillando euoces; quavis enim vi-  
ce tenellam quandam cuticulam terream, sed elegantem, ex  
aqua illa enatam superficie interiori vitri agglutinari; id  
quod crebris experimentis didicerit ipse atque EDMUNDI  
DICKINSONI, centesima destillatione idem compertum ha-  
bentis testimonio confirmatum accepit. ROBERTVS BOY-  
LE †††) ex aquae vncia ducenties destillata terrae albæ, le-  
uis, insipidae et in aqua solui recusantis drachmas sex obti-  
neri potuisse refert. (\*) MARGGRAFIVS (\*\*\*) librae aquae  
pluviae

\*) vid. EIVS Chem. Sceptic. p. 95. ff.

\*\*) IDEM l. c. p. 98.

\*\*\*) Vid. EIVS physic. chym. med. Abhandl. S. 240.

†) Vid. EIVS chym. Grundl. des Feldbaues Cap. VI. §. 3. 4.

‡‡) De Hermetis Aegyptior. ex Chemie, sapient. p. 397.

†††) De Origin. formar. p. 259. ff.

(\*) Graves sunt de BOYLEI narrationis huius fide dubitationes BOERNHA-  
VII (Elem. Chem. Tom. I. ed. Lips. 1732. 8. [p. 524. ff.]); coniecturae  
tamen neque verisimiles, neque vnu probatae,

(\*\*) Vid. EIVS chym. Univers. des Wassers §. 12. in dessen chym. Schrift  
Th. I. Berl. 1768. S. 284. ff.

N C S

pluiae destillatae vnius abstractione, duodecies in vasis semper recentibus repetita, terrae cuiusdam russae grana nouem decemue impetrauit, quam quia cum nitri acore efferuerescere et ex sale ammoniaco principium vrinosum expellere visa est, hactenus calcaream esse existimauit, vt tamen, quum non omnis nitroso acido nuberet, puram esse dubitaret. Quibus quidem periculis ex aqua saepius destillata terram quandam separari confirmatum vtique videtur, elementi tamen vnius in alterum conuersione nasci candem nondum perinde confessum est. Aliorum potius chemicorum curis innotuit, quicquid terrae istius obtinetur, illud omne repetendum esse vnicę ex vasis vitreis. Ac primum quidem CAROLVS GVLIELMVS SCHEELIVS<sup>\*)</sup> per dies integros noctesque duodecim in curbitula vitrea, collo angustissimo vnamque vnam longo atque subere accurate obturato praedita, superque lampadis elychnio accenso suspensa aquam niueam destillatam coquendo laticem obtinuit, inter ebulliendum lactescere visum positoque post biduum a coctura sedimento limpiditati redditum. Limpidior iste latex ex sale ammoniaco vrinosum exturbavit, cum acido vitriolico in coagulum abiit, ex acidis metalla soluta deiecit, syrumpum violarum colore tinxit viridi inque aere libero consistentiam recepit gelatinosam. Terra vero se posita silicinae cum pauca calce remixtae naturam comonstrauit. Iam quum dotes limpidi laticis, ex quo terra ista fecesserat, eadem sint cum dotibus liquoris silicum, sedimenti vero praeter parvissimam calcem indeles silicina: aut aquam purissimam destillatam non in terram modo, tum calcaream tum silicinam, sed adeo in salē lixiuiosum silicinis partculis solutis imprægnatum conuerti sumendum erit perperam et

\*) Vid. præfat. ad Ipsius tractat. chem. vñ Luft und Feuer.

et praeter omnem rationem; aut vero quod conuenientius est, vasis vitrei, quoisque aqua eminuerat, splendore leuitateque vere orbati principia, salem nimirum lixiuosum terramque, quae cineribus plantarum inest, calcaream, silicinamque, quae arenam constituit, ab aqua ebulliente soluta fuisse, ingenuo satendum est. Posteriorem terrae sic obtentae progenerationem euincunt quoque tentamina Cl. LAVOISIER \*), qui quum in vase vitro, quod a formae qualicunque similitudine pelicanum dicunt, exactissime clauso aquae purissimae destillatae definitam quantitatem per integros dies centum fouisset calore graduum scalae REAUMVRII sexaginta circiter septuagintaue, terrae gryseae lamelliformis collegit grana ferre totidem, quot perdidisse vasis ante operationem trutinati pondus finita operatione ad stateram cognoscetatur. Ut vt vero terra hoc experimento e vase vitro seiuncta etiam ad maximum furnorum aestum liquari non poterat, similis tamen terra, e destillatione vnius eiusdemque aquae quantitatis ter repetita in vasis forte e vitro viridi conflatis congesta, narrante MACQUERO, \*\*) in lentis causticae Trudainianae foco continuo denigrari et impetu quasi quodam disisci coepit, mox vero citissime in vitrum gryseum suppellucidum confluxit.

### §. VII.

#### *Superioris argumenti continuatio.*

Floris mineralis acidum, quod acidis nitroso, muriatico, phosphoreo et acetoso, optime tamen prae aliis vitriolico ex fluore minerali expulit primus omnium Cl. MARGGRA-

FIVS

\*) vid. Mem. de l'Acad. Roy. des Scienc. de Paris année 1770. p. 90 ff.

\*\*) vid. EIVS chem. Wörterb. Th. I. S. 509.

C



FIVS<sup>a)</sup>) quodque simili ratione consecutus Cel. SCHEELIUS<sup>b)</sup> reclamantibus quidem haud paucis, peculiare suique generis esse afferuit, folet quidem retortae, in qua paratur, collum materie obducere plus minus solida aquamque in excipulo praepositam ita turbare, ut terram seponat, immo vero in apparatu destillatorio, materiis aeriformibus capiendis inferuenti inuisibilis aeris in modum ex hydrargyro emergens, contacto aquae vel latice vel vapore, crustam firmam variae figurae producere<sup>c)</sup>. Mirabilem hunc cumentum tribuerunt fluoris minerali per acidum vitriolicum volatili reddito MARGRAFIUS<sup>d)</sup> PRIESTLEY<sup>e)</sup> et MONNETVS<sup>f)</sup>; acido iplius fluoris, quod muriaticum sit, sed terreac materiei intimus vnitum BOVLANGER<sup>g)</sup>, personatus auctor et ABTLGAAARDVS<sup>h)</sup>; eidem acido, quod proprium tamen sit, cum aqua silicem gignenti SCHEELIUS<sup>i)</sup> atque BERGMANNVS<sup>k)</sup>, qui tamen materiem collo retortae accrescentem fluorem tantum mineralem aestu in sublime actum esse saepe, concedit. Enimuero in tanto primi adeo ordinis chemicorum dissensu prodiit tandem inuentorum aquae copia atque ingenuo veritatis

<sup>a)</sup> vid. Mem. de Berlin 1768. p. 3. ff.

<sup>b)</sup> vid. Acta Acad. reg. Suec. 1771. p. 170 ff.

<sup>c)</sup> vid. PRIESTLEY Versuch. und Beob. über versch. Gatt. der Luft Th. II. S. 189. ff. oder Sammlung z. Physic. und Naturgesch. B. I. Leipz. 1778. 8. S. 282. ff.

<sup>d)</sup> l. c.

<sup>e)</sup> l. c.

<sup>f)</sup> v. ROZIER Journ. de phys. m. Aug. 1777. u. in Sammlung z. Physic und Naturgesch. B. I. St. 2. S. 196. ff.

<sup>g)</sup> Exp. research and off. on the vitreous Spar etc. Lond. 1775. 8.

<sup>h)</sup> v. Act. Hafn. 1779.

<sup>i)</sup> l. c.

<sup>j)</sup> de terr. silicis. §. 5.

dis amore celeberrimus IOHANNES CHRISTIANVS WIEGLEB<sup>1)</sup>) experimentisque multa cum accuratione institutis cuius-  
et, silicinae istius terrae, quae vbi fluoris acidum aquam te-  
tigit, comparet, prouentum non aliunde esse, quam ex vasis  
vitreis, quae destillationis operationi inferuerant. Etenim  
quum iam aliunde constaret, fluoris acidum non modo silici-  
nam terram ita solaire, vt ex solutione crystallum mineralem  
factitiam acquirere possis<sup>2)</sup>), sed vasa quoque vitrea adedere  
et arrodere. WIEGLEBIVS, pro ea, qua est, sagacitate et  
in periculis chemicis capienda circumspetione, et vasa vitrea  
ante distillationem caue peracta et materiam solidam, quae et  
collo vasis acreuerat, et ex acido aqua excepto secesserat ac-  
curata ponderatione examinauit comparatisque vtrorumque  
ponderibus cognouit, quantum solidae materiae impetraver-  
rat, tantundem omnino ponderis vasis ipsis deceisse. Docu-  
erunt deinde Cl. BVCHOLZII<sup>3)</sup> obseruationes, id, quod ab acri-  
do separatur, non esse vitri partes constituentes omnes, sed  
terram meram silicinam, non aliunde tamen, quam ex vasis  
vitreis erosio euolutam. Fuit denique SCHEELII ea, quae  
est cuiusvis viri magni et vere sapientis ingenuitas, vt in hac re  
humani sese quicquam passum esse agnoscet et confiteretur.

Caeterum, vasa vitrea, quae, vt patuit, ne aquae quidem  
asti custodes sunt, acidi fluoris lenociniis corrumphi sese pati,  
eo minus mirandum est. Neque aliorum acidorum tutelam  
incorruptam ab iisdem administrari, constat. Quod enim  
GAVBIVS<sup>4)</sup> in fundo vasis vitrei, in quo vitrioli acorem

C 2

adem-

1) vid. CRELLII V. Cl. Nenest. Enzd. in der Ch. Th. I. S. 6. ff.

2) BERGMANN de arraßt. elect. §. 37.

3) V. CRELLII N. Enzd. in der Ch. Th. III. S. 58. ff.

4) V. EIVS Adversar. p. 124. ff.

❧ ♦ ♦

ademto phlegmate ad summum efficacie gradum euexerat, inuenit recrementum, ex selenite, et sale mirabili conflatum, non nisi ex vitti principiis calcareo natrosoque ab acido vitrioli sibi vnitis natum esse potest. Quinimum a lenissimo vini acido lagenas vitreas, ex calce pyromachoque seu spatho scintillante conflatas erosas fuisse SCHEFFERVS<sup>p)</sup> perhibet; et vitreos tubulos cum plumbi calce plurima paratos plumbeum elementum acori muriatico extrahendum offerre, PRIESTLEII<sup>q)</sup> obseruationes confirmant. Ex quibus quidem omnibus, quantorum errorum diffensuumque fontes vasa vitrea euadere possint soleantque, euidentissime cognoscitur.

### §. VIII.

#### *Vasa impari modo clausa, errorum et diffensus fontes.*

Verum enim vero non materiae modo et particularum suarum admixtione fallere vasa certum est, sed ludere quoque chemicorum experimentorum dissentiente euentu impari modo custodita et clausa, perinde constat. Notabile huius rei exemplum praebet controuersia, quae de calcis mercurii rubrae, sola diurna digestione sine vlo additamento paratae, reductione ad hydrargyri metallici formam agitarunt haud ita pridem Francogallorum chemicorum celeberrimi BEAVMEVS atque CADETUS; quorum quidem hic calcem hydrargyri ab isto paratam in vasis destillatoriis exadissime collutatis et clausis sine vlla materie phlogistica adiecta coram testibus locupletissimis, praeter exiguum recrementi particulam, in metalli fluidi formam restituit, quam tamen eandem CL. BAVME in phiala vitrea, praeter orificium minutissimum superius patens,

p) V. EIVS chem. Vorles. §. 75. c.

q) Exp. and. offff. relat. etc. To. I. Sect. X. pag. 102.

tens, nullisi aperta, formae metallicae recuperandae adeo impotenti viderat, ut potius omnem in sublime agere et in eiusmodi formam crystallinam congregare posset, qualem in sale ammoniaco Aegyptiorum, mercurio dulci aliisque sublimatione paratis crustis densioribus offendimus. Cuius quidem controuersiae arbitrum egregium egit MACQVERVS<sup>r)</sup>, qui vtriusque operationis discrimen in vasis impari modo custoditis latere, sapientissime animaduertit. Quum enim per orificium illud supernum phialae a Clariss. BAVME adhibitate perpetuo allabatur aer externus, cuius ceu phlogisti audi-  
diffini ipsique metallorum terris accrescentis ad metallicorum corporum calcinationem est et accessus per quam necessarius et efficacitas longe potentissima, non aliter fieri potuit, quam vt qualis erat hydrargyri calx, talis in vase non penitus clauso, etiam in sublime acta, maneret usque. At enim vero deinde, in CADETI apparatu destillatorio nullibi patente, omni aeris externi accessu, remotoque hac ratione calcinationis summo adminiculo; recuperare etiam hydrargyri calx metallicam potuit indeolem retinendo per vasorum vitreorum parietes porosos affatim satis irrepens phlogiston, reductionis efficacissimum subsidium, quod in BAVMEI apparatu omne per hiatum in auram diffugerat.

In lapide calcareo crudo latitare acorem tenerrimum, qui usione pariter atque acoribus aliis seiungi et sub aurae elasticae forma acidique aerei aerisue fixi nomine expelli possit, nostris temporibus nemo ignorat. Is acor, inter alia, aquam puram imbuere debet sapore acidulo virtuteque calcem et ferrum soluendi, calcis aquam turbare, et crotonis tinctiorii solutionem aquosam rubefacere. Iam ex purissimo

C 3

lapide

r) *Chem. Wörterb.* T. II, S. 365, ff.



lapide calcareo octo horarum igne forti in vasis destillatoriis  
vsto IGNATIVS IOHANNES LANGMAIER<sup>3)</sup> repetito ex-  
perimento auram expulit, quae calcis quidem aquam turbaret,  
neque tamen vel excussam terram calcaream, vel ferri lima-  
turam solueret, neque crotonis tinctorii solutionem rubeface-  
ret, neque aquae impertiret aciditatem, atque adeo sugges-  
tit nonnullis vberrimam materiem dubitandi, vtrum, quae ex  
calce exturbatur aura acidulae naturae, an potius mere aereae,  
eiusdemque cum puriore aere respirabili indolis sit.

At enim vero fefeller LANGMEIERVM vas terreum  
vel male ad iuncturam cum excipulo collutatum vel inter lu-  
tandum adeo fissum expertus est LUDOVICVS ROVSSEAU<sup>4)</sup>  
Ingolstadiensis Academiae ornamentum; qui quum saepissime  
pari cum LANGMAIERO euentu vflisset in retorta lapidem  
calcareum, luti tandem ad iuncturam cum excipulo applica-  
tionem, figulo antea commissam, administravit ipse summa  
cum circumspectione atque adeo nunc bene clausis vasorum  
destillatoriorum commissuris omnibus obtinuit verum acorem  
aeriformem, qui aquam purissimam manifesto acidulam red-  
deret, deiectamque ex aqua calcis terram solueret et crotonis  
tincturam rubefaceret. Scilicet retinuerant iam melius custo-  
dita vasorum claustra plus aeris aciduli ex calce euoluti; cu-  
ius nimiam iacturam fieri passa fuerunt rimosa vasa et lutum  
infidum; atque hac ratione remotae etiam sunt cuiuscunque  
generis dubitationes, quibus hospitis calcarei lapidis aerifor-  
mis natura obnoxia erat.

#### §. IX.

3) Suppl. in I. IAC. DE WELL. defens. doctr. Black. Vindob. 1778. 8.  
p. 235. ff.

4) Abh. von den Salzen. Eichst. 1781. 8. S. 46.

## §. IX.

*Chemicorum instrumentorum mechanicorum, seu errorum et dissensus fontium alia exempla, breuiter modo commemorata. Epilogus.*

Neque vero tantum ex vasorum vel materie vel custodia infida decipiuntur chemici, sed ex aliorum quoque instrumentorum mechanicorum scaturagine errores et dissensus promanare possunt. Sic platinae purissimae, metalli omnis destructionis expertissimi lamina, inter cudentum forcipe detenta ferrea, maculis quibusdam obducitur similibus iis, quae in ferrea lamina ad ignitionem vsque cusa apparent, quas a platina repetendo errares plurimum, rectius eas tribuens forcipis cudentam lamellam platinae tenentis saepius concusse et ignitae destructioni,<sup>\*)</sup> et calcis sic ortae ferreæ adhaesione ad platinam. Vncti ferrei, quibus calefactis mineras argenti cum plumbo propterea, vt per scorificationem argentum excutiamus, fusas agitamus, siquidem rostelli ipsorum apex non densus satis sed ex pristino vñti rimosus sit, fallacissimam reddere poterant docimasiam, arripiendo ex ditione minera in rimas suas argenti particulas quasdam, easque inferendo inter agitandum pauperiori minerae, quae vñt ista minus diues, ita ipsa iusto ditione videbitur.<sup>\*)</sup> In plerisque officinis pharmaceuticis crystallus montana praeparata occurrit, cuius haud exigua pars ab acidis adiectis soluitur. Multum deciperetur, qui tenuissime comminutam crystallum ipsum vere esse in acidis solubilem, festinantius statueret, quando-

<sup>u)</sup> Vid. Illustriss. Comitis DE SICKINGEN, *Versuch über die Platina* Mannh. 1782. 8. p. 84.

<sup>x)</sup> vid. CRAMER *Anfangsgr. der Metall.* Blankenburg und Quedlinb. Th. I. fol. p. 172.

❧ ♫ ❧

doquidem quod soluitur vnicē sunt lapidis laeugatorii marmorei, porphyritae male substituti, detimenta. Plura omnino exempla afferre possemus, euidentissime docentia, summa opus esse in laboribus chemicis, ne instrumentorum mechanicorum culpa aut ad rixas aequē contentiosas atque iniustas conserendas, aut ad errores amplectendos seduci nos patiamur, circumspictione, nisi, argumenta nimis copiosa afferendo ipsi bonae caussae nostrae diffisi videri possemus, et nisi ex iis, quae haec tenus differuimus abunde eluceferet, cautis demum patere ad verum inueniendum aditum. Caeterum, ut et medici sint fallacie et errorum ex instrumentis mechanicis propullulantium gnari salutis humanae ipsis commissa tutela exposcit. Alias enim v. c. temperaturi aestum et cicuraturi a crimoniam biliosam vel emulso nitrato in mortario aheneo aut orichaleco, quod aeruginem contraxit, parato vel spiritu acetii ex vase cupreo male obstannato destillato, soluturue visciculos succos spiritu MINDERERI cum aceto eiusmodi parato, stimulis cupri venenatis cum aegri periculo lacefserent neroos. Item extracta amara semiliquida syrupsque et oxy mellita seruando in vasis stanneis, ad quae conflanta plumbum quoque concurrit, saturni noxis aditum patefacerent. In male denique coopertis vasis custodiendo spiritus et olea stillatitia iacturam fragrantiae et virium irreparabilem fieri concederent; atque adeo his aliisque erroribus commissis, quo minus grauissimis suis officiis possent faccre satis, semetipso temere impedirent.

---

## EMENDANDA.

p. 12. lin. 17. *respondeat* l. responderet. p. 18. lin. 13. *personatus* l. personatus.

Wittenberg, Diss., 1783-85



f

8.



B.I.G.

	Black	White	3/Color	Red	Magenta	Yellow	Cyan	Green	Blue	Centimetres	Inches
8											
7											
6											
5											
4											
3											
2											
1											

Farbkarte #13

DE  
CHEMICORVM INSTRVMENTIS MECHA-  
NICIS ERRORVM ET DISSENSVS FONTIBVS

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E  
IOHANNE GOTTFRIED  
LEONHARDI

AA. M. PHILOS. ET MED. D. PATH. ET CHIR. P. P.  
O. FAC. MED. ASSESS. ET H. T. DECANO, SOC.  
OECON. LIPSIENS. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS

AD XIII. OCTOBR. A. O. R. CICCLXXXIII.

DISPVTTAT  
IOHANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS  
ISRAEL

LVCNAVIA LVSATVS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITERBERGAE,

TYPIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

